34-7-8-28.13

12
108

ALFONSI RAINOLDI I. V. C. ET EQVITIS ORATIO AD SANCTISSIMVM D. N. GREGORIVM XIIII. P. M.

Habita dum vna cum quinq; alijs viris primarijs, ſexaginta virorum Conſilij generalis Ciuitatis Mediolanenſis nomine, eidem ad ſummum Pontificatum aſſumpto, in publico Conciſtorio gratularetur.

Die XII. Februarij. Anno. M. D. LXXXXI.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ, Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.
M. D. X C I.

ALFONSI RAINOLDI
I. V. C. ET EQVITIS
AD
GREGORIVM XIIII. PONT. MAX.
ORATIO

SI quantum gaudij , ac lætitiæ, Gregori Pontifex Beatiſſime, Ciuitas Mediolanenſis perceperit ex hac tuis virtutibus debita, longè omnium ampliſſima , ac Cœlo proxima dignitate; cumulatè ſignificandum eſſet ; Ciuitatem vniuerſam; omnes omnium Ciuium ordines ; cunctam plebem eiuſque ditionis totius populum præſentem adeſſe oporteret : Ita enim efficeretur, vt incredibile illud gaudium, quod oratione,vt vellemus, æquare non poſſumus ; tu ipſe Sanctiſſime Pontifex, illud tanquàm à parente optima profectum ob ſummam filij amatiſſimi felicitatem, non auribus ſolum exciperes, aut animo complectereris; ſed etiam oculis cerneres, & videres. Gratiæ ſiquidem illæ,

quas ob tām magnum, ac diuinum beneficium omnes ordines Deo præpotenti, publice, ac priuatim; piè, ſanctèq; perſoluerunt; mutui illi virorum nobilium complexus; necnon perpetua illa omnium hominum congratulatio; vultus denique, atq; oculi, hilaritatem præſeferentes, facillimè declararent quanta lætitia exultarint, quantoq; gaudio triumpharint Mediolanenſes. Illa eadem oſtenderent, quę mens, qui ſenſus eorum fuerit, cùm primùm optatiſſimum nuncium acceperunt; te vnum, omnium hominum longe optimum, non humanis conſiliis, ſed ſummi rectoris, ac Domini numine annuente; atque adeò approbante; ingenti primùm Romanæ Ciuitatis plauſu; deinde incredibili omnium gentium conſenſione; ac mirifica, (vt is quoq; cumulus ad noſtrum accederet gaudium, inuictiſſimi ipſius Catholici Regis noſtri lętitia,) Pōtificem maximum declaratum eſſe. Quo quidem nuncio, ipſa Vrbis noſtræ mœnia ipſi Templorum parietes, lætari propemodum viſi ſunt. Tantæ huius lætitiæ, quæ Mediolanenſem Ciuitatem immortaliter affecit; cauſæ recenſeri poſſent ſanè plurimæ; quæ cum reliquis omnibus Chriſtiani orbis Ciuitatibus ſunt communes: Illa verò ſibi propria, ac peculiaris exiſtit; qua non lætatur ſolum, ſed etiam gloriatur; quod eum Pontificem maximum creatum videat, quem ſumma Dei immortalis benignitate ipſa genuit, eadem aluit, ſanctiſſimis moribus expoliuit, atque erudiuit ad religionis inſtituta: quem ætate florentem,

tem,

tem, honore Epiſcopatus inſignem complexa eſt; in Cardinalium numero cooptatum, excepit per honorificè; Nunc verò quod honorum omnium longe eſt maximum, atque ampliſſimum, veneratur atque adorat Pontificem renũciatum. At quem Pontificem? eum ſcilicet, quem eximia erga Deum pietas, quem ſumma prudentia ſumma cum Iuſtitia coniuncta ad celſiſſimam Petri Sedem iuremeritò euexerunt. Vt cùm alijs nominibus, tùm hoc præcipue Patria tua celeberrima futura ſit, quod te genuerit, ex cuius vita immortalem ad ſe gloriam peruenturam eſſe non dubitat, cum ex eiuſdem imperio, ad omnes Chriſtiani orbis gentes felicitatem maximam iam emanare videat. Huius lætitiæ teſtandæ cauſa, eadem Ciuitas nos ſex oratores delegit; vt non tam quidem, Ampliſſimi Patres Pontifici Maximo gratulemur, quàm vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, quæ eum nacta ſit rectorem, ac moderatorem; quo meliorem, ac ſapientiorem cogitatione nobiſmet ipſis fingere, ac ne optare quidem valeamus. Ad vos religioſiſſimi Proceres orationem meam conuerto; vt à vobis veniam petam, ſi quam plurimas eius Pontificis laudes, quem vos Pontificatu digniſſimum iudicaſtis tacitus præteribo. Non enim eiuſmodi ſunt, vt vel breui temporis curriculo, vel non exercitato ad dicendum homine contentæ ſint. Vnus enim Franciſcus Sfondratus ſummi Pontificis Pater Cardinalis ampliſſimus, idemque hæros immortalitate digniſſimus, qui &

patriam dum vixit virtute illuſtrauit, & vniuerſam Dei Eccleſiam ſapientia, vitæque integritate adiuuauit, auxit, ornauit; diſertam, luculentamque orationem expoſceret; ſed neque id ſanctiſſimi, eiuſdemque modeſtiſſimi Pontificis aures patiuntur; Illud vnum tantùm ſine àliqua eius moleſtia mihi dicere liceat; cum nobis Dei immortalis maximo beneficio datum eſſe ſummum rectorem ac Dominum; quo nullus vitæ innocentia, ſanctitateque aptior exiſtit ad pacem illam a Deo impetrandam, quæ ob multa hominum ſcelera nos deſeruit iamdiù; & reliquit in tanta rerum omnium perturbatione; & quo nullus reperitur prudentia, & iuſtitiæ melior ad publicam concordiam, & tranquillitatem aut conſtituendam, aut conſeruandam; ita vt omnes prouinciæ, gentes, nationes, Ciuitates, quæ Chriſtum Dominum agnoſcunt, atque eius ſanctiſſimis legibus parent, in ſpem certam veniant, maxima ab eo beneficia conſequendi. Vt enim de nobis ipſis Mediolanenſibus nihil dicamus; qui ad te ipſum accedimus Beatiſſime Pater, non ſolum tanquam ad ciuem noſtrum, ſed etiam Principem beneficentiſſimum, atque eximium Patriæ terrarumque orbis ornamentum, omnes maxima quæque beneficia ſibi promittentes; Quis iam non videt, atque intelligit; omnes homines propter tuam diuinam virtutem, ſingularemque bonitatem, in tantam ſpem erectos eſſe; vt te diutiſſimè in Petri nauis puppi ſedente, clauumque tenente, vitia, quę in im-

menſum

menſum creuerunt, extirpatum iri confidant, & virtutes inter mortales libentiſſimè commoraturas eſſe non dubitent? Iam iam inquiunt omnes vno ore; hæretici, nefarij, impurique homines prauitatem ſuam iam tandem pertæſi, ac peccata cognoſcentes ſua, GREGORIO DECIMOQVARTO ſe volentes dedent victos; eiuſque iuſtiſſimis legibus ſe ſubijcient. Nulla gens, nulla natio, nulla denique Ciuitas iam erit, quæ diuina Chriſtianorum decreta a Pontifice hoc maximo nolit edoceri. Interea Patria tua ſumma hac felicitate cumulata; ſanctiſſimis tuis pedibus aduoluta, eos peramanter deoſculatur, Deumque omnipotentem precatur, vt te Reipublicæ Chriſtianæ quàm diutiſſime ſeruet incolumem.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAR-

MARCELLI VESTRII BARBIANI
Vtriuſq; ſignat. Referend. Secret. Apoſtolici domeſtici S.D.N. GREGORII PP. XIIII. nomine, reſponſio.

QVantò, viri Mediolanenſes, & nobiles Oratores, præſens Sanctitatis ſuæ ſtatus eminentior ſit eo, in quo fuit, dum Ciuitas veſtra eius conſuetudine frueretur, ipſi planè conſpicitis. Eadem certè Ciuitas tanquàm genitrix iàm ipſum vt filium fouit, iàm velut nutrix creſcentem aluit, vt patria ciuē titulis decorauit. Sacris deinde honoribus auctum Cremonenſem Epiſcopum, & S. R. E. Cardinalem digniſſimum vidit. At nunc eū vos pro filio parentem agnoſcitis, pro alumno diſpenſatorem cernitis; pro ciue moderatorem ſuſpicitis, & pro ſingulari Antiſtite, atq. Cardinale vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum, ſummumq́; Pontificem colitis. In ſinu ipſe veſtro olim conquieſcere viſus fuit, ſuſceptis commodis confirmari ſe ſenſit, delatis dignitatibus extolli ſe vidit, ſuæ deniq; apud vos exiſtima-

tionis cauſa quodammodo gaudere non dubitauit. Jam pro quiete laborat, pro ſecuritate timet, pro dignitate ſe humiliat, & pro gaudio ſuſpirat. Ad curarum enim ſuarum cumulũ illud accedit, vt cum proprias culpas, quarum expertẽ minime eſſe ſe agnoſcit, vindicari in ſe vereatur, laudes pro vindicta recipiat. Quicquid ſit omnia diuinæ voluntati tribuit, cui ſe ipſum deuoto corde ſubmittit. Gratulationẽ, quam exhibetis Sanctitas ſua libenter recipit, tum ob veterem eiuſdem Ciuitatis in Romanam Eccleſiam fidem, tum ob ſpectata veſtra merita, qui legationem iſtam egregiè obitis. Paternam demũ beneuolentiam & ſua ſtudia eidem Ciuitati, & vobis, quos valdè diligit, & plurimi facit viciſsim pollicetur. Curabitq́; vt ex officiorum memoria, amoris in eandem Ciuitatem magnitudo in dies creſcat; vt verò ex amoris præſtantia multitudo etiàm beneficiorum, quibus nulli Pontificum, qui ex ea prodierunt cedet, quotidiè magis augeatur, re ipſa præſtabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE